

Utrum increatum esse aliquid ens perfectionis infinite extra se valeat producere. Videtur quod sic, quia increatum esse potest producere aliquod ens potentie in infinite, igitur et perfectionis infinite. Consequentia nota, quia potentia est quedam perfectio. Igitur et infinita potentia est infinita perfectio. Antecedens probatur, quia de facto produxit ignem inferni, qui est infinite potentie, quod sic ostenditur, quia illa potentie que non potest producere tot effectus, quin plures possit producere, est infinita potentia. Sed ignis inferni est huius, igitur. Maior apparet, quia posse producere tot effectus, arguit, tantam potentiam in agente et in duplo plure in duplo maiorem et per consequens infiniti infinitam. Sed minor patet, quia ignis inferni non potest tot animas trahere qui plures.

Ad oppositum, sic: increatum esse non potest aliquod ens sibi equale producere, scilicet ad extra, igitur. Antecedens notum, quia creatura non potest esse equalis suo creatori. Et consequentia probatur, quia si aliqua creatura esset perfectionis infinite sibi nulla perfectio deficere, et si sic, igitur creatura creati esset equalis, ut arguit magister in ista distinctione, capitulo, verum.

Respondeo ponendo tres conclusiones.

Prima conclusio est quod nulla capacitas est infinita alicuius create et rationalis anime.

Probatur tripliciter.

Primo sic: quaelibet creata et rationalis anima est finite per sectionis et limitate, igitur et capacitas finite. Antecedens apparet, quia Deus potest facere animam perfectiorem aliqua data, quia potest facere animam que nec velit, nec possit peccare, que esset perfectior qualibet data vel creata anima, ut dicit Magister, in ista distinctione capitulo verum. Sed probatur consequentia, quia capacitas vel capax esse est alicuius perfectionis et maior capacitas maioris perfectionis. Igitur et capacitas infinita est infinite perfectionis, quod capacitas sit perfectionis patet per Magistram, in presenti distinctione, ubi supra dicens quod non posse capere est defectio, igitur ex opposito posse capere est perfectio-[94va] nis.

Secundo sic: si capacitas create anime sit infinita, igitur esset passiva infinite, igitur eadem ratione deus posset facere animam activam infinite. Sed consequens falsum, quia tunc posset facere animam que posset creare, et omnia illa facere que faciebat Christus dum erat in via. Sed hoc est falsum, quia talis anima foret Deus. Patet ista consequentia per illud verbum Christi, Ioannis, 10, opera, que ego facio in nomine patris mei ipsa testimonium perhibent de me. Item per illud Ambrosium quod recitat Magister, libro 1, distinctione 3, dicens, accedat que vis creatura et faciat tale celum et talem terram et dicam, quia Deus est.

Tertio sic: quia si anima foret capacitatis infinite, tunc ipsa posset insimul actus infinitos recipere. Patet consequentia, sed consequens est falsum, quia si sic, igitur esset perfectionis infinite et sic equalis Deo, quod est falsum. Et patet ista consequentia, quia si unus istorum actuum causare aliquam perfectionem et duo tales duas tales, igitur et infiniti infinitas. Confirmatur per illud sapientiae, cum omnia fecisti in numero pondere et mensura, quaelibet autem capacitas cuiuslibet rationalis anime est de numero illorum omnium a deo productorum, Item quia essentia anime finita. Igitur et eius capacitas.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: arguit Paules de Perusio ordinis nostri, libro 1, quaestione 7, conclusione prima, corpus quantum infinitum est capax intese infinitatis, igitur et anima rationalis creata est

infinite capacitatis. Consequentia nota, quia quantitas non facit aliquid ad talem capacitatem, quod patet quia ita potest recipere intensius calidum vas minus sicut maius vas. Antecedens patet, quia infinitas intensiva non respicit quantitatem mobilem, unde si ponatur aqua infinite calida certum est quod recipere in vase finito, quia non esset infinita extensive. Igitur tale vas esset capacitatis infinite.

Secundo sic: situs in divisibile est capacitatis infinite, igitur et anima nostra. Consequentia nota, quia ipsa non est minoris capacitatis secundum suum modum recipiendi quam sit situs indivisibilis. Sed antecedens patet, quia situs indivisibilis potest simul capere infinita puncta, quod patet si linee infinite concurrerent in eodem situ indivisibili et terminarentur ad eundem punctum.

Tertio sic: Deus potest sufficienter punire per horam animam peccantem mor-[98vb] taliter. Igitur ipsa est capacitatis infinite. Antecedens patet, quia alias peccator esset magis potens peccare per aliquod tempus quam Deus esset potens ipsum punire per tantum tempus, quod est falsum. Et patet consequentia, quia talis pena vel esset finita, vel infinita. Non finita, quia nulla pena finita equipollet pene infinite que debetur pro peccato mortali de condigno. Igitur talis pena esset infinita. Si sic, igitur anima est capacitas infinite. Similiter sic posset probari de gaudio quod habet anima in patria quod est infinitum, quia excedit in infinitum omne gaudium vite. Et confirmatur, quia tantum bonum infinitum potest replere capacitatem rationalis et create anime, secundum beatum Gregorium, 26 Moralium, capitulo 36, dicentem quod ad Deum appetendum facta est anima, et ideo omne quod ista appetit minus est et nihil ei sufficit, quod Deus non est. Item Beda suorum illud actus, super illud actus, 5, cur temptavit sathan cor tuum, ait mentem hominis nihil replere potest, nisi creatrix trinitas et allegatur a Magistro, libro 2, distinctione 8.

Respondeo pro solutione omnium istorum ego noto primo quod ista consequentia non valet. Capacitas istius corporis potest recipere infinitum. Igitur ista capacitas est infinita non plusquam ista. Hoc subiectum potest recipere accidens, igitur hoc subiectum est accidens. Patet hoc, quia alias sequeretur quod quilibet res esset infinita, cum quilibet res recipiat infinitum bonum, scilicet ipsum Deum, qui est in omni natura per essentiam propriam. Dico secundo quod etiam ista consequentia non valet, ista anima potest cognoscere infinitum, igitur est infinita non plusquam. Ista potest cognoscere lapidem, igitur est lapis. Ex hiis ad argumenta, ad primum nego consequentiam, ut patet ex primo notabili.

Ad secundum dico eodem modo.

Ad tertium dico finaliter quod non sequitur in ista anima esse pena infinita. Igitur est capacitatis infinite, quia cum hoc stat quod sua capacitas sit entitas finita, dico etiam quod pena condigna pro peccato mortali non est pena infinita licet sit infinita pena, et quia est infinita pena, scilicet extensive, quin per maius ideo repugnat quod talis pena insimul ponatur in esse. Similiter dico quod gaudium patire est finitum entitative licet fit infinitum obiective, quia de infinito obiecto nec excedit in infinitum gaudium vite et si dica. Igitur gaudium vite pos-[95ra] set equari gaudio patrie. Non valet consequentia plusquam ista homo in perfectione finite excedit asinum, igitur asinus imperfectione potest equari homini, quia iam non esset asinus.

Ad confirmationem dico quod non sequitur, solus Deus potest implere vel facere appetitum anime nostre, igitur est capacitatis infinite, quia quodlibet ens quantumcunque minimum etiam appetitu naturali tendit in ipsum Deum, unde non sequitur appetit in infinitum, igitur est infinitum, sicut non sequitur videt Deum, igitur est Deus.

Secunda conclusio est quod increatum esse nullam formam intensam infinite extra se valet producere.

Probatur tripliciter.

Primo sic: quia si Deus posset producere formam intensam infinite, producat ea et sit a, sed probo quod a non fit forma intensa infinite, sic nullum habens ultimum et terminum sue in tensionis est infinitum intensive, sed a est huiusmodi igitur. Maior patet, quia infinitas intensiva negat terminum et ultimum illius intensiois. Sed minor probatur, quia a aut est in termino sue intensiois, aut non. Si sic, habetur propositum. Si non, igitur potest ulterius intendi. Et si potest ulterius intendi, igitur non est intensa infinite, quia infinito non potest fieri additio.

Secundo sic: si aliqua forma posset esse intensa infinite, tunc motus rectus continuus posset esse infinitus. Consequens falsum et contra Philosophum, 8 Physicorum, ubi Commentator commento 12, ait quod Aristoteles declaravit quod nullus motuum rectorum est continuus et perpetuus, nec esse potest. Hoc etiam ratione patet, quia omnis motus rectus habet terminum a quo et terminum ad quem, et sic inter duos terminos, et per consequens omnis talis est finitus. Sed patet consequentia, quia si aliqua forma posset extendi in infinitum, ille motus intensiois qui esset motus rectus prederet in infinitum.

Tertio sic: si Deus formam intensam infinite posset producere, sequeretur quod pars esset equalis toti. Consequens falsum et probatur consequentia, quia posita albedine intensa infinite. Si dividatur ille gradus in finitus aut diminuatur quod remanet, necessario erit infinitum, sed quod remanet est pars illius totius albedinis primo, igitur.

Contra conclusionem, arguitur tripliciter.

Primo sic: Deus potest facere similitudinem infinitam vel intensam infinite, igitur. Consequentia nota, quia non magis videtur hoc impossibile de aliqua forma absoluta quam de respectiva. Et antecedens fuit probatum superius argumento secundo pro prima conclusionem, questione 36.

Secundo sic: Deus potest facere creaturam infinite potentie intensive, igitur. Patet consequentia, quia talis potentia sive virtus esset intensa infinite. Sed probatur antecedens, quia iam de facto fecit animam rationalem infinite potentie intensive, quod sic deducitur, quia anima rationalis potest resistere cuicumque temptationi possibilim igitur est virtutis infinite intensive. Patet consequentia, quia resistere alicui temptationi est alicuius virtutis intensive et posse resistere maiori est maioris virtutis, aliter sequeretur quod non esset difficilius resistere maiori temptationi quam minori, quod est contra experientiam. Et antecedens probatur, quia alias non esset libera, ne peccaret consentiendo temptationi, immo sequeretur quod quanto maiori temptationi consentiret quod tanto minus peccaret.

Tertio sic: quicquid Deus potest facere successive, potest simul facere. Sed formam aliquam puta caritatem potest successive in infinitum intendere, ergo et simul potest facere formam in infinitum intensam. Maior nota et maxime impermanentibus de quorum natura non est successio, Et minor apparet, quia alias esset dare aliquod caritate finitam ultra quam Deus maiorem non potest facere, quod videtur falsum.

Respondeo.

Ad primum, dico quod antecedens positum in illa ratione prime conclusionis, questione 36, dicentis quod aliqua relatio vel similitudo creata est infinita, non sic debet intelligi quod sit aliqua similitudo que sit entitas infinita, sed solum quod aliqua sit infinita similitudo sine chategorematica, sic scilicet quod possunt esse infinite similitudines minore illa, quia non

tot quin plures, et ex hoc sequitur quod sit aliqua similitudo infinita, vel dicitur et melius quod illud argumentum solum precedit ex una suppositione falsa qua, scilicet supponitur quod deus possit facere albedinem infinitam, ut patet in arguendo quod tamen in ista conclusione negatur similiter etiam supponit illud argumentum, quod similitudo sit alia res a suo fundamento, quod est falsum, ut patuit superius, questione 37. Et ideo argumentum ibidem adduxi magis, ut audirem eius solutionem a quodam socio quae quod crederem ipsum concludere.

Ad secundum, negatur antecedens. Ad probationem, dico quod in probatione, si deveat producere, supponitur quod anima nostra possit temptari aliqua temotatione infinita quod non concedo, Dico etiam anima per se et per suam potentiam naturalem, non posset resistere cuicunque temptationi, sed bene per spiritualem Dei coasistentiam et gratiam et cum hoc sibi merito imputatur [95va] ad culpam quando consentiti, quia talem Dei coasistentiam spiritualem et gratiam non perdit, nisi voluntarie.

Ad tertiu, nego antecedens, sicut Deus succesive potest dividere continuum in infinitum. Non tamen hoc potest simul facere, quia implicaret quod esset continuum et non continuum, etiam quia ut superius dictum est, non potest tot producere qui plura, similiter dico quod non potest formam ita intensam producere, quando intensiorem possit producere, quod totum est ex infinitate sue potestatis. Et ideo implicat quod insimul formama ita intesam producat quod intensiorem non possit producere, sicut quod aliquem numerum ita magnum producat qui maiorem possit producere,

Tertia conclusio est quod increatum esse nullum ens perfectionis infinite extra se valet producere.

Probatur tripliciter.

Primo sic: Deum non valet producere creaturam aliquam sibi equalem, igitur nec creaturam perfectionis infinite. Patet antecedens, quia alias Deus de nihilo posset alium Deum producere, quem postea non posset annullare quod non videtur intelligibile. Sed patet consequentia, quia si aliqua creatura esset perfectionis infinite, tunc illi creature nulla perfectio deficeret. Igitur illa esset equalis Deo. Patet ista consequentia per Magistrum, in ista distinctione, dicentem quod si universitas rerum ita bona dicitur, ut nulla perfectio ei desit iam creatura creatori equatur, certum est autem quod si aliqua creatura esset perfectionis infinite quod nulla perfectio ei desiceret.

Secundo sic: si Deus posset producere aliquod ens perfectionis infinite sit illud a, tunc quaero aut a distat ab asino perfectionaliter finite vel infinite. Si finite, igitur ipsum a est perfectionis finite. Si autem a distat ab asino infinite, igitur tantum distat ab asino quantum Deus, igitur non sunt pauciores gradus perfectionales inter a et asinum quam inter Deus et asinum, igitur tot gradus perfectionales continet sub se a quot Deus, igitur tante perfectionis est a sicut Deus, hoc autem implicat quod aliqua creatura sit tante perfectionis sicut Deus, igitur.

Tertio sic: si Deus posset facere aliquod ens perfectionis infinite sit illud a, tunc certum est quod multi sunt gradus perfectionis possibiliter. Et inter ipsum a et asinum, tunc quaero aut omnes illis gradus sunt perfectionis infinite, aut perfectionis finite, vel aliqui perfectionis infinite et aliqui finite. Si omnes sunt perfectiones infinite, igitur asinus erit perfectionis infinite, quia non distat ab omnibus illis nisi infinite si omnes sunt perfectionis finite, igitur a erit perfectionis finite, quia non distat ab omnibus illis, nisi finite. Si aliqui finite et ali-[95vb] qui infinite, tunc sit supremus gradus perfectionis finite b et infimus perfectionis infinite c, tunc quaero aut inter b et c est possibilis aliquis gradus perfectionis, aut nullus. Si aliquis, igitur poterit

esse aliqua perfectio quae nec erit finita, nec infinita, quod non videtur intelligibile. Si nullus, igitur b est immediatus ipsi c et b est finitum, igitur v est infinitum. Patet ista consequentia, quia minus distant b et c quam ipsum c ab a, nec quam b ab asino, et tamen per positum est perfectionis infinite, sicut a et b est perfectionis infinite, sicut asinus. Et confirmatur posito quod a sit creatura perfectionis infinite, quaero aut inter a et Deum est possibilis aliquis gradus perfectionis, aut nullus. Si aliquis, igitur maior perfectio potest dari quam perfectio impius a, igitur non fuit infinite. Si nullus, igitur a plus excedit animam nostram in perfectionis quam deus excedat ipsum a, igitur a plus debet a nobis diligi et affectari vel eius perfectio ab anima nostra plus debet desiderari et amari quam perfectio ipsius Dei ab ipso a, quod videtur falsum.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: Deus in perfectione alicuius entis creati potest procedere in infinitum secundum appositionem, igitur et potest facere actualiter ens aliquod perfectione data entis creati Deus aliqua perfectionem in infinitum potest apponere. Et consequentia patet per Philosophum, 3 Physicorum, dicentem quod si posset procedi in infinitum in magnitudine secundum appositionem, quod tunc esset possibilis magnitudo aliqua infinita in actu, igitur et consili modo, si Deus posset procedere in infinitum in perfectione secundum appositionem, sequitur quod sit possibilis perfectio infinita in actu.

Secundo sic: intellectus noster potest intelligere aliquod ens creatum esse perfectionis infinite, igitur et Deus tale potest producere. Consequentia nota per illam propositionem communissimam qua dicitur quod Deus plura potest facere quam intellectus poster possit cogitare. Sed patet antecedens, quia nullus rationabiliter negat aliquod predicatum ab aliquo subiecto, nisi intelligat illud perfectionis infinite predicatum aliter iudicaret sicut cecus de coloribus, sed ens creatum perfectionis infinite rationabiliter negatur ab aliquo subiecto, sicut cum dicimus Deus non est ens creatum perfectionis infinite, igitur etc.

Tertio sic: Deus potest facere caritatem infinitam, igitur. Patet consequentia, quia tanta caritas est tante perfectionis, et maior maioris, et [96ra] consequens infinita est perfectionis infinite. Sed patet antecedens, quia gratia anime Christi fuit infinita, quia tantam gratiam ei Deus dedit quantam sibi dare potuit, ut dicit Magister, libro 3, distinctione 13, igitur ipsa fuit infinita, quia aliter Dei potentia per aliquod finitum et terminatum productum esset exhausta, et per consequens nec esset potentie infinite.

Respondeo.

Ad primum, dico quod si posset procedere in infinitum in magnitudine secundum appositionem quod posset dari magnitudo actu infinita, et cum hoc stat quod in infinitum posset procedi in magnitudine secundum appositionem, et quod non possit dari in actu magnitudo infinita. Et ratio est, quia in prima propositione licet infinitum stat cathegorema et in secunda sincathegorema, unde dico quod de mente Philosophis est prima propositio et non secunda, ideo dico ad propositum quod licet in infinitum posset procedi in perfectione entis creati secundum appositionem, non tamen in ipsa potest procedi in infinitum.

Ad secundum, dico quod illa propositio qua dicitur quod plus potest Deus facere quam noster intellectus intelligere, intellecta prima facie est falsa, nam greci intelligunt Spiritus Sanctus precedere, et non a Filio, tamen hoc Deus facere non potest. Similiter philosophi intellexerunt mundum nunquam fuisse creatum, tamen Deus hoc non potest facere. Dico igitur quod propositio illa sic intelligitur quod aliqua Deus potest facere que nos non valemus intelligere, et cum hoc stat quod nos aliqua in intellectu concipimus que Deus facere non posset.

Ad tertium, negatur antecedens. Ad probationem de gratia anime Christi dico quod primo potest dici quod Magister loquitur de gratia et sapientia increata illi anime in assumptione a verbo collatam, et potest dici quod a principio sue conceptionis, illa anima habuit tantam gratia quantam ei Deus dare potuit, in tantam et maiorem quam unquam Deus alicui creature dare disposuit quod non sic est de nobis qui in principio habemus gratiam remissam, sed per bona opera meretur in nobis augeri aut aucta mereatur perfici, ut dicit Magister, libro 2, distinctione 26, anima autem Christi in eodem instanti, in quo fuit creata et a verbo assumpta tanta gratiam habuit quantam unquam deus sibi dare disposuit et hoc sonant verba Gregori, super Ezechi, dicentis non habuit omnino Christus iuxta anime meritum quo proficere potuisset, et cum hiis stat quod eius gratia fuerit finita.

Ad argumentum in principio quaestionis factum, negat antecedens. Ad probationem de igne inferni, dico quod est potentie finite et virtutis et licet non tot animas quin plures possit cruciar [96rb] non habet a natura sua cum naturaliter etiam corpus in spiritum immediate non possit agere, sed hoc habet a singulari Dei assistentia et speciali in illo igne influentia, ideo illa activitas et potestas ipsius ignis est magis attribuenda Dei quam nature ipsius ignis vel etiam potest negari illa consequentia a non potest tot effectus producere, quin plures, igitur a est potentie infinite illud autem argumentum tenet silum virtute illius consequentie, unde si mundus duraret eternaliter solum posset tot effectus producere qui plures, tamen esset cum hoc potentie infinite, igitur etc.